



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab Anno Christi 1312 Usque Ad Annum 1351

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1767**

**VD18 9011826X**

§. 27. Tolosæ figitur sedes Archiepiscopi.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66305](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66305)

dagarent. Papa Joannes has inquisitiones continuari voluit; & post actiones necessarias ejus memoriam solenni ritu consecravit die Jovis intra octavam Paschatis septima Aprilis anno 1317: ut patet ex litteris, quas Papa cunctos ad Episcopos eadem die dedit. Scripsit hoc etiam ad Reginam Mariam Sancti matrem, ad fratrem ejus Regem Robertum, cui suum ad coronam jus cesserat, ad Philippum Franciæ, Jacobum Aragoniæ, Sanctium Majoricæ Reges, & ad cæteros Sancti propinquos viros ac foeminas principes.

Sæcul. XIV.  
A. C. 1317.

Bullar. to. I.  
Joa. XXII.  
const. 2.  
Rayn. u. 9.  
10. II.

§. XXVII.

*Tolosæ figitur sedes Archiepiscopi.*

Hæc Ludovici ad Sanctos adscriptio Ecclesiæ Tolosanæ fuit honori, cui Papa Joannes alium adjunxit instituendo ibi archiepiscopatum. Rationes, quas in diplomate hac de scripto reddit, sunt amplitudo urbis ac diceceseos; multitudo populi adeo redundans, ut Antistes unicus suas implere partes nequeat, & immensa Ecclesiæ hujus opulentia, qua fretus Episcopus posset in luxu vivere, comitatum ingentem admittere, sumptus immoderatos facere, suis cognatis nimio plus largiri, quin etiam in Præpositos suos insurgere. Quocirca Cle-

Extrav.  
comm. Salvator 5. de  
præb.

Sæcul. XIV. mens V antecessor noster, pergit Papa  
A.C. 1317. Joannes, habebat in animo hujus dioceseos partitionem, quam mors prævertit. His aliisque de causis scientes volentesque unanimi ex consilio nostrorum fratrum Cardinalium per plenitudinem potestatis apostolicæ diocesim Tolosanam in quinque dioceses dividimus, ita, ut præter hanc civitatem, ac peculiarem diocesim ejus quatuor urbes aliæ, ex quibus civitates facimus, suam quæque diocesim teneant, scilicet Mons Albanus, Fanum S. Papuli, Rivenæ, ac Lomberia. Mons Albanus ad Cadurcinam huc usque diocesim pertinens Tolosanæ partem & cathedram obtinebit in S. Martini templo, ubi jacere corpus S. Theodardi dicitur. Tres civitates reliquæ ad Tolosanam hæcenus diocesim spectans ex ea suam quæque partem cathedramque accipient in æde S. Papuli, & in Rivenensi, Lomberiensique Dominæ Nostræ templis.

Ecclesiam Tolosanam jurisdictione ac potestate Narbonensis Ecclesiæ omnino exsolvimus, ac volumus esse metropolim, cui subjicimus quatuor illos episcopatus novos & Apamiensem. De pristinis Tolosani proventibus Ecclesiæ Tolosanæ libras Turonicas decies mille, novorum quatuor episcopatum cuius quinques mille assignamus, & Apamiensi

mieni ultra id, quod jam percipit, certam portionem alias per litteras statuemus. Tum Papa sibi reservat terminos novis dioecesibus designandos; ac prohibet, nequis hominum, quacunque demum dignitate floreat, etiamsi Episcopus sit aut Rex, ullo modo impediatur executionem hujus diplomatis dati Avinionem 25 Junii an. 1317.

Sæcul. XIV.  
A. C. 1317.

Generales Papæ Joannis querelæ de Tolosano Episcopo videntur singulariter attinere ad ultimum, nempe Gaillardum Preissacium Clementis V nepotem, & ab eo huic sedi impositum an. 1305; sed ob dissipata bona malosque mores suos an. 1317 a Papa Joanne exauthoratum. Qui ei postea Rejemensem in Provincia episcopatum obtulit. At Gaillardus manere privatus maluit.

Baluz. vit.  
to. I. p. 187.  
621.739.

### §. XXVIII.

#### *Quatuor episcopatus recentes.*

Sanctus Theodardus, quem Mons Albanus veneratur, in Narbonensem Archiepiscopum anno 888 initiatus ad cælum evolavit 1 Maji anno 893. Non debet confundi cum S. Theodoro Trajecti ad Mosam Episcopo & Martyre annis ducentis antiquiore, qui 10 Septembris colitur. S. Theodardus Narbonensis in abba-

Boll. to. 12.  
p. 142.

Sup. Lib. 38.  
§. 58.

Lib. 39. §. 45.